

Q. N. 350, 16

17

Z 701



CXXV.

B. C. D.

In

X 1860423

SECUNDA FIGURA

CONCLUSIO

Cur fit negativa?

Suffragio Inclytæ Facultatis Philosophicæ
in Academia Lipsiensi

Publicè expedit

M. THEODORICUS à DUNTE,
Livonus,

Respondente à meridie

ABRAHAMO Klein/Hollandia Prusso.

A. Ær. Christ. M DC LXVIII.

Die XXII. Januar.

LIPSIÆ

Literis JOHANNIS GEORGI.

128

S. M. Feller
19

2702

SECONDA FIGURA
CONJECTURIS





§. I.

Qui Logicam Practicos habitus imitari dicunt, eorum sententia non incommodè principiorum utrobique affinitate & similitudine illustrari ac confirmari posse videtur. Dum enim Immortale Numen pristinae ac primævæ Sapientiaæ rudera ubiqve relinqvere voluit, notitias quasdam naturales mortalium animis inscripsit. Harum autem tanta est amplitudo, tamq; latè pervagata efficacia, ut quocunque defectuum suorum conscius, atq; studiosus emendandi illos animus se vertat, nativa illa principia, veluti pharus vela ac cursum dirigant.

§. 2. Debent enim ortum Deo, & homo ex lumine intellectus insito & facultate critica congenitaqve dispositione, rerum Theoreticarum veritatem, Practicarum bonitatem videre ac agnoscere potest. Cum vero illæ notitiæ, quæ circa res natura suâ tantum cognoscibiles versantur, aliæ sint objecti simplicis, aliæ complexi, simplex autem objectum aliud eminentissimi aliud universalissimi ordinis, principia etiam illa totupliciter variabunt. Est autem illud eminentissimum Deus, universalissimum, meta illa & apex conceptuum humanorum, ac ultra quod progredi non datur, Ens. Porrò quæ sunt complexi objecti & per modum integri enunciati ac principii cognoscitivi se habent, primaria alia sunt, alia secundaria, prima vel orta, atqve in disciplinis, principiis illis accommodatis, explicari solent.

§. 3. Quæ vero actionem aliquam nostram dirigunt, intendunt ac perficiunt, iterum sunt duplicis ordinis. Quædam moralia dixeris sive activa, quædam instrumentalia & effectiva. Illa complexim Legem naturæ vocamus. Organicae notitiæ ad liberalem aliquam effectiorem tendentes, struunt noemata, quibus intellectus in cognoscendo felicissimè adjuvetur. Hinc notiones secundæ ab intellectu adornatæ, ut accuratius & ornatius in cognoscendis rebus procedere & cognitas proponere possit. Hinc princi-

pia aliqua organica ex istis notionibus desumpta, & pro illis formata sunt, cumque ex lumine naturæ derivata, per illud etiam naturaliter evidentia sunt.

§. 4. Atque sic justo ordine devenimus ad illorum principiorum gradum & classem, quibus cognitio veritatis facilitatur. Tam etsi enim principia etiam aliqua organica pro ratione tum vocum, earundemque vel congruè vel ornate proferendarum, tum illiberalis & manuariæ effectiois, exstruantur, illa tamen nunc à nobis non attenduntur, cum conceptuum potior sit ratio. Quæ hos concernunt, ad Logicam, officinam illam rectæ rationis, revocantur.

§. 5. Quemadmodum autem instrumenta non terminantur utilitate propriâ sed sua natura diriguntur ad alia, quibus inserviunt, sic etiam hæc principia non concernunt proprium emolumentum, sed aliis operam præstant. Hæc instrumentalitas vero etsi non faciat, ut habitus per illam formaliter sit practicus, supponit tamen operationem, cum sine hac illa absolvi nequeat. Et hoc nomine Logicam practicos habitus imitari diximus. Practicus enim habitus accurate dici nequit: Divisio illa habituum Practicorum est principalium habituum, & si ad instrumentales trahitur, sequitur, instrumentales habitus alios esse Practicos, alios Theoreticos, quod est absolum. Illorum porro habitum, qui & accuratè Practici dicuntur & practicos imitantur, principia tantam inter se habent similitudinem, ut exinde etiam probationis aut illustrationis argumentum posse duci prima fronte dixerimus. Præterquam enim quod omnia principia sicubi in dubium vocantur, debeant revocari ad primò primum Impossibilitatis principium, practica principia hoc insuper commune habent, ut quæ illis superstruuntur, omnia ad praxin eliciendam dirigantur. Ac sicut ex illis, fontibus veluti, Justitia promanat, ita ex his Veritas libero & uberiori fluxu gaudet.

§. 6. Nunc Logicorum principiorum nonnulla adeo communia sunt, ut sua latitudine omnes Dialecticæ partes pervagentur, veluti illud; Notiones secundæ rebus conformandæ sunt, non res notionibus, item, Notiones secundæ dignitatem rei non imminuunt, nec extollunt. Cum enim omnis operatio Logica idoneorū mediōrum suppeditatione absolvatur, media autem illa Logica sint notiones secundæ, hinc principia illa logica intentionibus secundis accom-

commodantur. Alia autem certæ parti adstricta sunt. In his familiarum ducunt illa principia, quæ tertiam mentis operationem dirigunt, & vocantur speciali nominis acceptione canonica, quod præbeant infallibilem normam omnis veræ dispositionis syllogisticæ, sintque radix & fundamentum omnis bonæ consequentiæ. Hæc communis Logicorum Schola in prima & orta partitur & hæc vicissim in generalia & specialia distribuit.

§. 7. Ex his placuit protrahere & accuratius inspiciendum sistere illud Logicorum: Conclusio in secunda figura sit negativa. Cumque plures hujus rei reddi possint rationes, pro disputationis exercitio illas exhibemus. Effertur autem axioma diversimode; mox ita, ex puris affirmativis in secunda figura nihil sequitur, iterum, altera præmissarum sit negans, quæ etsi tandem eodem recidant, malumus tamen ad conclusionem rationes nostras revocare, eique alligare. Idque non exinde tantum, quod confuse aliquantum de præmissarum qualitate, de conclusione autem uno intuitu iudicium feratur, sed & quod conclusionem necessariam syllogismi partem statuamus.

§. 8. Oppido enim transimus in illorum castra, qui conclusionem nec effectum nec finem nec formam esse Syllogismi, sed partem ejus constituere asserunt. Syllogismus est actuale Exercitium tertiarum operationis mentis, hæc autem cum sit discursus, essentialiter illationem simul denotabit. Utque in omni enunciatione mens nostra de convenientia prædicati cum subjecto iudicat, exprimente hoc internum iudicium copulâ tanquam externo signo, ita illationis & conclusionis iudicium maxime essentialiter spectabit. Ridiculus foret qui Iudicis officium sola disceptandæ causæ cognitione absolvi diceret; decretoria accedat sententia. Conclusio est mentis nostræ pronunciatum quo de cognitis præmissis iisque inter se collatis iudicium fert. Et Philosophus notanter admodum Syllogismum orationem esse dicit, in qua (non ex qua) conclusio infertur.

§. 9. His adducti rationibus effati nostri momenta & fundamenta Conclusioni accommodamus. Cum vero alia à posteriori magis fluere, alia à priori reddi posse videantur, ab his merito facimus initium. Rursus cum & hæ rationes non sint unius e-

jusdemq; generis sed nonnullæ aliis etiam argumentandi modis
sint communes, aliæ autem propius ad nostrum effatum accedant,
convenientem servabimus ordinem & à generali auspiciabimur.

Ut Conclusio in II. figura sit negativa, ante
omnia Dictum de Nullo exigit.

§. 10. Hoc enim dictum specialiter negativis Syllogismis
in servit. Alias affirmativæ pariter ac negativæ argumentationis
fundamentum, in quod ultimo resolvitur, sunt illæ propositiones
naturæ notæ, quarum beneficio infallibiliter unum ex altero colli-
gimus. Neq; enim humana industria rationem legitime argumen-
tandi excogitavit, sed Deus imprimendo illam mentibus nostris,
à brutis nos inde distingvere voluit, Factum autem est Eruditorum
operâ, ut inferendi & concludendi fundamentum in lucem sit pro-
tractum, positumq; eo loco, quo haberi debebat, scilicet pro nor-
mâ universali ac infallibili, juxta quam omnis forma syllogistica,
constituenda, cognoscenda, ac dijudicanda esset. Quare etiam,
tantâ perspicuitate gaudet, ut nulla opus habeat probatione, sed à
naturali lumine intellectus, nullo penetretur, actualemq; hominis
assensum statim inveniat, quamprimum termini percipiuntur.
Quin imo instituimus, ad horum dictorum tenorem, ratiocinia, si-
mul ac se usus rationis prodit. Atq; hinc etiam eorum indepen-
dentia & inviolabilis immutabilitas apparet. Reliquæ syllogisti-
cæ artis regulæ hinc ortum suum trahunt, atq; eatenus saltem ob-
stringunt, quatenus ex his dictis fluunt & deduci possunt.

§. 11. Esse autem illa dicta fundamentum formæ Syllogi-
sticæ vel inde constat, quod integri Syllogismi nihil aliud sint,
quàm illa ipsa dicta, actu exercita, in quibus tres sint termini eo or-
dine secundum prædicationem dispositi, ut unus terminus sit prædi-
catione supremus & ordine primus qui de secundo prædicetur, af-
firmative quidem in dicto de Omni, negative in dicto de Nullo;
secundus vero terminus de alio tertio prædicetur, qui ultimus om-
nium est & prædicatione infimus & sub secundo continetur. Tam-
etsi autem hæc dicta in omnibus Syllogismis non æquè appareant,
quoniam non omnes expresse illa in se continent, nihilominus syl-
logismus legitimus ita debet esse comparatus, ut in talem qui evi-
denter

denter dictum repræsentet, commutari possit atque hoc median-
te ad dicta congruat.

§. 12. Ex quibus nunc colligere est quæ veritate negati-
væ conclusionis rationem ex dicto de nullo derivemus, quodque
adhuc illud adsertum maneat firmum, etiamsi in secunda figura hu-
jus dicti evidentia ante oculos statui nequeat; quod tamen temere
admodum recens quidam novæ syllogizandi artis conditor asserit.
Non enim opus esse autumat aliis specialioribus consequentiarum
regulis, cum unicum illud dictum de O. & N. abunde sufficiat, atq;
in secunda ac tertia figura æque ac in prima perspicuum & evidens
sit. Quod si verum est, maximopere expeterem, ut, cur conclu-
sio in tertia figura sit particularis, immediate ex dictis ostendere-
tur: procul dubio distributionem minoris non esse factam dicet, sed
dicta medium tantum non majorem vel minorem distribui postulant.
Negativa vero secundæ figuræ conclusio, sicut omnes quoad conse-
quentiæ evidentiam imperfectiores syllogismi, reductionis bene-
ficio ad dictum de Nullo exigitur. Sed nunc assertum nostrum in
eo specialius fundatur quod

Medius terminus in affirmativa propositione hinc
distribui nequeat.

§. 13. Necessaria illa Medii distributio haud multum à di-
ctis differre videtur, cum nihil aliud sit, quam luculentior dicti ex-
plicatio, & illius universalitatis, quam illud requirit, actualis ex-
planatio. Nihilominus in præsentî negotio, ex necessitate medii
distribuendi manifestius quam ex dicto, effati nostri conditio patet.
Nam si distributio hinc affirmative fieri nequit, conclusio sequens
alterutram sequiorem partem, ejusdem qualitatis erit. Nunc autem
in omni Syllogismo completa medii, ad minimum semel facta, di-
stributio hinc est necessaria, quod sicubi illa non fieret, posset me-
dium pro aliquo poni in majori, de quo in minori non sumeretur,
& vicissim. Et tum ejusmodi propositiones particularibus æqui-
pollent. Excipitur tamen hinc medium singulare quod neque
debet nec potest distribui.

§. 14. Repetendum hic & illud insuper, quod medium pro
diverso posito diversimode possit distribui. Cum prædicatum à sub-
jecto removetur perinde est, quo loco medium collocetur, negativa
propo-

propositio & subjectum & prædicatum distribuit. At vero cum prædicatum sub jecto attribuitur, & medium est illud, cui prædicatum inesse dicitur, tum demum complete distributum habetur, cum ad ea omnia extenditur, quæ sub se complectitur. Atque hanc communitatem tum notat signum universale, ita accipiendum, ut copulativus descensus adhiberi possit. Licet autem descensus ille absolutus semper non sit, & cum est absolutus, non adeo completus sit, poterit adhuc medium distributum haberi, ubi subsumptio fit secundum accommodam illam universalitatem. Sed ubi medium prædicatum est, nequit in affirmativa distribui, etiamsi universale signum sub jecto præfigatur. Illud enim tantum id attingit, quod immediate sibi subjungitur. Hinc Regula Summulistarum. Universale signum affirmativum confundit, hoc est, confuse sumi facit illum terminum, cui remote præponitur; quod autem confuse sumitur non distribuitur. Quid vero tum fiet, ubi prædicato signum universale apponeretur? Hic equidem certum est in negativis enunciatis signum universale posse prædicato præmitti, sed non opus est, per negationem enim jam tum est distributum. Affirmatos propositiones quod attinet, hæc termini reciproci & simpliciter convertibiles difficultatem pariunt: prædicatum absorbet totum subjectum & vicissim & sic prædicatum posset signo universalitatis notari. Largiamur hoc, nondum tamen prædicatum est distributum cum collective tum sumatur. Manet illud inconcussum, universale signum sumptum distributive non posse præponi casui recto, qui integrum prædicatum absolvit, aut primaria ejus pars est, quanquam terminorum transpositio fucum nonnunquam faciat.

§. 15. Ex quibus hætenus disputatis pronum est concludere, quam sit necessaria medii distributio, quamque illa fieri nequeat in affirmato enunciato, in quo postremo loco medium positum est. Quod si certum est altera præmissarum certo negativa esse debet. Nunc illud addo; cum termini sunt reciproci atque sic ob æqualem latitudinem iisdem signis ab utraque parte notari posse videntur, non opus esse hac insolita distributione, (quanquæ hæc fieri nõ possit) cum jam tum illa reciprocatio formam beneficiariam faciat, ac ubi ex puris affirmativis aliquid inferatur, illa conclusio, virtute primæ figuræ rata habeatur.

A la-

A latiori ad angustius consequentia affirmative
non valet.

§. 16. Facimus enim libenter cum iis, qui prædicatum esse subjecto latius, aut ad minimum non angustius in naturali & vera prædicatione, asserunt. Quod est adeo verum atque certum, ut ex hac prædicati amplitudine subjectum oppido dignosci possit. Quod si enim termini sint transpositi, & sit obscurum, quid primo quid secundo loco in ordine naturali sit ponendum, juxta terminorum latitudinem sit iudicium. Quamquam nonnunquam æque late pateant termini in enunciatione, ac tunc subjectum sit, qui rationem materiæ, qui rationem formæ habet, prædicatum, & ubi nec hæc distinctio observari licet, connexio eventualis & situs extremorum arbitrarius sit. Ubique autem illud manet, subjectum non posse esse latius prædicato, prædicatum autem subjecto esse aut æquale aut laxius.

§. 17. Itaque nunc illorum vacillat ratio, qui hæc effata ponunt: Prædicatum nonnunquam est angustius subjecto; nonnunquam neque latius, neque angustius, neque æquale, sed habent subjectum & prædicatum se ut excedens & excessum. Quasi vero excedere & excedi (quod nonnunquam fieri libenter concedimus) prædicati amplitudinem neget, cum potius ille mutuus excessus reciprocam latitudinem arguat, nequaquam tollat. Propterea enim non definit prædicatum esse magis amplum, quod ubi termini invertuntur, vicissim excedatur; sicut concursus duorum ejusmodi connotativorum in uno subjecto facit, ut de se invicem prædicentur illa, ita, quoniam subjectum illud non est adæquatum recipiens, (dantur n. plura in quibus simul esse possunt) connotativa illa se mutuo excedunt. Ad quæ autem confugiunt exempla, ut cum album dicitur de dulci, vel eo expediuntur, quod prædicatio præternaturalis in illis sit. Connotativum de connotativo dicitur & quidem quorum formæ de se invicem in abstracto prædicari nequeunt, aut in quibus unum connotativum non est alterius causa, aut similem connexionem non habet. Maneat ergo illud, prædicatum à subjecto amplitudine non superari-

§. 18. Nunc cum Medium in utraq; præmissa secundæ figu-

B

ræ

ræ sit prædicatum, atq; hinc utroq; termino latius, conclusio, quæ in convenientia utriusq; extremi in hoc termino latiori fundatur, affirmativa esse nequit. Ut enim aliàs quàm plurima Philosophorum effata eodem nituntur fundamento, ut, posito genere non ponitur determinata species, item posita causa remota non ponitur effectus, & alià bene multa, ut, inquam, hæc positive non valent, bene autem negative, ita similiter in præsentì negotio res evenit. Positio enim ejus quod est latius, & convenientia duorum in latiori, pari passu ambulant; utrobiq; consequentia negativè tantum valet.

Conclusio sequitur partem deteriore.

§. 19. Distinctius forsitan ita efferri poterit hoc axioma, tum, cum negationis ratio habetur. Dissolutio enim & corruptio, deterior est ejus compositione. Particularis autem propositio, quam aliàs etiam canon simul complectitur, jure optimo debilior dicitur, quippe cujus tanta vis non est, quantà universalis pollet. Illam propositionem, quæ prædicatum subiecto convenire negat, affirmativâ debiliorem non dixerim, cum negationis virtus & potestas eo se extendat, ut post se inventa (nisi per aliam negationem ob ex ponatur) omnia destruat, ac insuper & subiectum & prædicatum distribuat, quod affirmatio nequit. Sed hæc cum nomen concernant, leviora sunt.

§. 20. Majoris forsitan momenti fuerit disquirere, quò usque illa sive debilitas sive deterioritas se extendat. Neq; enim promiscue, ut quidam volunt, ad quodcunque debilitatis nomen trahi debet. Ad qualitatem propositionis accommodari potest, non accidentalem sed essentialem. Qualitatem essentialem voco, quæ nunquam non propositioni & immediate quidem competit: & hæc est affirmatio & negatio. Quæ autem illa mediante & non semper propositioni convenit, illam accidentalem dicere licebit. Veritatem scilicet & falsitatem. Huc, inquam, extendi nequit, ita, ut ubi altera præmissarum falsa fuerit, conclusio etiam falsitate laboret; fit enim sæpius ut non tantum ex altera præmissarum sed etiã utraq; falsa, vera conclusio inferatur. De contingentia propositionum, cum idem in illâ eveniat, idem esto judicium. Conclusio non semper in contingentia alteram præmissarum imitatur.

§. 21.

§. 21. Nunc illud disquisitionem meretur, quæ ratione fiat, ut conclusio nequeat esse negativa, nisi aliqua præmissarum itidem sit talis, possit tamen esse particularis, licet propositiones ambæ sint universales, quod in tertia figura quandoque evenit. Videtur eadem eadem utriusque ratio, cum conclusio promiscue partem debilorem sequi dicatur, & utrinque valeat ex meris particularibus & negativis nihil potest inferri. Et sicuti primæ figuræ perfectio etiam ex Conclusionis promiscua Qualitate & Quantitate æstimatur, ita secunda figura ratione qualitatis, concludendo tantum negativè, tertia ratione quantitatis, inferendo tantum particulariter, deficit. Nihilominus qualitas conclusionis semper aliquam ejusdem indolis præmissam imitandam requirit, quantitas non item. Hic certum est conclusionem esse præmissarum effectum, hunc autem non excedere virtutem suæ causæ, ac nihil esse in effectu quod non fuerit in causis. Quemadmodum autem illorum, quæ effectus à causa accipit, alia formaliter in se causa habet alia virtualiter, ita præmissæ qualitatem, quam conclusioni largiuntur, expresse & formaliter, quantitatem nonnunquam virtualiter tantum in se continent, quod in duobus prioribus modis tertiæ figuræ videre est. Nequit enim conclusio universalis inferri, quoniam minor terminus in propositione ejusdem nominis prædicati locum occupat & cum illa propositio semper sit affirmativa, non est distributus. Nunc si in conclusione universaliter efferretur, fieret distributus, quod iterum syllogisticæ consequentiæ repugnat.

§. 22. Atque hæc enucleatio eo tendit, ut nostræ assertioni major lux accedat. Dum enim partis sequioris imitationem proximum negativæ conclusionis rationem dicimus, ex ante dictis nunc constat, in qualitate id esse maxime perspicuum. Et cum hæc reciproce valeant, ubi conclusio est negativa, etiam aliqua præmissarum talis est & viceversa, jure optimo proximum nostri quæsitum fundamentum hinc accersimus. Nunc disparem harum rerum, quæ ejusdem sunt nominis, rationem obiter notasse liceat. Quædam enim Corporis naturalis & propositionis Logicæ affectio eodem Qualitatis nomine ob multimodam alias convenientiam venit. In Physica autem plures effectus nequeunt reduci ad manifestas qualitates, quas hinc sensus ac specialioris nominis ratione occultas dicimus:

cimus: Qualitas autem Conclusionis quæ est effectus præmissarum, semper ex manifesta præmissarum ejusdem generis qualitate fluit.

Affirmata Conclusio nequit reduci.

§. 23. Merito huc provocamus, & à negata reductionis aptitudine Syllogismum in secunda figura affirmativum, ineptum pronunciamus, satis persuasè reductionem non contemnendum illustrandi ac perficiendi syllogismos medium esse. Parvi enim pendimus hac quidem in re multorum, gravissimorum alias Virorum, effata dicentium, reductionem non multum esse necessariam, raro utilem: neq; illos moramur, qui præcipuum ejus instrumentum, conversionem, nugatoriam quandam terminorum inversionem esse asserere non verentur. Illud tandem largimur, carere aliquando posse Syllogismum reductione, cum dimissa hac habeat infallibilem consequentiam, eamq; pariter fundatam in naturali usu differentium, nihilominus etiam, cum evidentiam in argumentando non leve momentum sit, accedente imprimis adversarii contumacia, reductionis beneficium satis amplum esse judicamus. Inevidentia enim consequentiam est quædam imperfectio, quæ, teste etiã Philosopho, quidam Syllogismi laborant atq; hinc merito ad eam deponendam eo deducuntur, ubi consequentia fit manifestior.

§. 24. Cum vero Consequentiam evidentiam ex principiis regulativis æstimetur, oppido liquet, quæ hic evidentiam intelligamus, non eam quæ est materiæ, sed quæ formæ est. Accidit enim sæpius, ut Syllogismus 2. & 3. figuræ magis servet naturalem ordinem subjiciendi & prædicandi, quæ consequentiam materiale dicimus, atq; hinc conversione aut transpositione minime opus habeat. Viceversa, etsi enunciationes ita sint conceptæ, ut illa quæ præ naturam insunt prædicentur, & ea quibus insunt, subjiciantur, includantur tamẽ secundæ & tertiæ figuræ, fit sæpenumero, ut aliquantùm à fundamento consequentiam longius recedant, & obscuritate laborent. Quæ sicubi per reductionem liberantur evidentiam formæ accipere dicuntur.

§. 25. Evidentiam consequentiam ubi ante oculos statuenda est, aliud quoddam consequentiam itidem formalis, genus, quod magis simplex est, assumitur, scilicet conversio. Si illa non sufficit quod in duobus tantum modis contingit, transpositio in auxilium

lium vocatur. In quibus tamen ita res evenit, ut conversio sine transpositione, hæc autem absq; conversationis ope nunquam legitimam reductionem absolvat. Per conversationem medius terminus eo potest poni loco quem & 1. figuræ ratio postulat, potest etiam quantitas ejus beneficio, sicubi illa impedimento est, variari. Sed cum nonnunquam etiam qualitas obstet, quo minus commode revocari ad 1. figuram possit, qualitas autem in omni conversatione eadem maneat, ad transpositionem confugiendum est. Quæ duo media adeo sunt universalialia, ut horum ministerio omnes modi 2. & 3. figuræ ostensive reduci possint, atq; errarint Veteres existimantes, modos Baroco & Bocardo, quod particularis negans nequeat converti, per impossibile tantum illustrari ac probari posse, quibus Isendorn & Bonaventura Baro adhuc pollicem premunt. Conversationis per contrapositionem fundamentum manet firmum: de quo removetur genus de eo removetur species, qui termini hic sunt extendendi.

§. 26. Hæc autem præmittere opus erat, ut asserti nostri universalis ratio constaret. Quod si enim modi 2. & 3. figuræ omnes directe ac ostensive, & omnium figurarum modi indirectè & per impossibile probari possunt, manifesto liquet, illam argumentandi formam non esse legitimam, quæ secundum regulas artis commode nequit reduci. Atque hoc ipsum in conclusione affirmata secundæ figuræ evenit neque enim ostensive neque absurdum eliciendo reduci potest. Posterius inde patet, quod quoties affirmativæ conclusionis contradictoriam sumo atque servata majore, (secus enim si in 2da figura fieret medius terminus debito loco 1. in figura non poneretur) illam loco minoris pono, manifestum vitium in 1. figura oritur. Conclusionis enim, quæ erat in priori syllogismo affirmata, contradictoria est negans, collocata nunc loco minoris fallit consequentia, cum actualis dicti continentia subsumptionem negative fieri non permittat.

§. 27. In ostensiva vero reductione difficultas majorem concernit. Medius enim terminus, qui in utraque præmissarum locum prædicati habuerat, nequit includi majori atque eâ reponi sede, quam 1. figuræ tenor requirit. At ubi alterutra præmissarum negativa est, termini æque latè patent, atque hinc idonei sunt ut trans-

locari possint. Ut adeo etiã hoc nomine affirmativus syllogismus in secunda figura repudiandus sit. Tam arcto principia illa regulativa & perfectiva connexa sunt vinculo, ut sicubi argumentatio priorum ductum negligit, ad hæc etiam revocari nequeat. Hinc valet illud reciprocum, *Qui argumentandi modus convenit regulis consequentiæ reduci & perfici potest & viceversa.*

Ex veris præmissis falsa sequeretur conclusio.

§. 28. Hæc est communis illa ratio, quam passim & solam, ferme Logicorum plurimi inculcant. Habent quidem satis præsidii inde ad tuendam suam sententiam, nihilominus accuratiori inquisitioni non satisfaciunt. Scribere præcepta sine rationibus est aliquo modo Tyrannidem agere, & quanquam certum sit nihil frustra asseri, in suppeditatis tamen rationibus animus noster citius acquiescit. Aliàs certum est illam argumentandi formam solam bonam esse, & legitimam, quã nunquam in certa materia ex veris præmissis falsum elicitur. Etiam si nunc vera sit in se conclusio tamen, quando non ex præmissis infertur, forma argumentandi vitiosa habetur.

§. 29. Præsens negotium quod attinet, quamvis illud ut, mox dictum, ad arguendam consequentiæ vitiositatem non requiratur, ausim tamen affirmare, ex puris affirmantibus hic nunquam non falsum sequi. Quod sub his conditionibus dico. Illius quod propter materiæ necessitatem & per accidens, non autem vi formæ fit, nulla habeatur ratio. Accidit autem, ut cum commune prædicatum loco medii assumitur & major ac minor terminus est sibi subordinatus ejusdemque generis & classis, conclusio absurda, non sequatur, veluti, si ex eo quod homo & animal sit animatum, in ferrem, hominem esse animal, verum colligerem: quæ tamen dispositio tunc demum per se foret bona, si promiscue liceret subsumere de omni eo, quod animatum esset; tunc & planta foret animal. Porro cum major est convertibilis syllogismus *φανομένως* tantum in secunda figura est & virtute primæ concludit.

TERMINALIA.

ADDI-

275.

ADDITAMENTUM.

1. Respublica num finis & Civitas objectum Politicæ sit, dubitatur?
2. Veritatis formale non est 1. congruentia cum intellectu ut vult Svarozius, Franciscus Bon Sp. Philippus à Sanct. Trinit. neque 2. relatio rationis ad intellectum divinum practice cognoscentem, Fonseca 3. neque relatio rationis ejusdem ad seipsum esse cognitum & reale, Durandus, nec 4. aliquid reale absolutum ab Ente ex natura rei distinctum. Scotus & Asserclæ neque 5. segregatio cujuslibet ab omni extraneo positivo Aureolus, Arriaga neque 6. denominatio extrinseca ab actu intellectus vero, Mendoza.
3. Sicut nec bonitatis formale consistit 1. in amabilitate Franc. B. Sp. neque 2. in nuda relatione rationis, Capreolus Fonseca neque 3. in fictione Entis Hervæus Vasquez, Arriaga, Lalemandet, neque 4. in eo, quod est in suo genere perfectum connotans actum appetitus à quo denominatur amabile Thomas, Cajetanus, Valentia, Mendoza, neque 5. in congruentia cum voluntate Philippus à Sanct. Trinit. Scheubl. & plurimi.
4. Abstractiva & sonu barbara fingere vocabula Cicero ni jam tum familiare est.
5. Existentia objecti Physici præter omnem rem in Physicis, à Cartesianis autem ineptè admodum demonstratur.
6. Alas verum Estheræ fuisse Astyagem Medorum Regem & Darii Medi Patrem rectè statuitur.

7. Verum

7. Verum aurum etiam per artem est producibile.
8. Demonstrationum Mathematicarum necessitas ad certitudinem quaestionibus naturalibus faciendam frustra exigitur.
9. Cicero fuit bonus Poeta.
10. Logica non recte dividitur 1. in Veterem & Novam ut Hieronymus Guildenbergius, Crellius, Vallius, 2. nec in communem & propriam Averrhoes, Zabarella, Crellius & alii, nec 3. in στοιχειολογικὴν & συλλογιστικὴν Hospinianus nec 4. in Analyticam & Topicam Philoponus nec 5. in definitionem divisionem & argumentationem, Boetius, Jacobus Guilelmus, Avicenna, Alfaravius nec 6. in artem & artis usum Philippus Mocenicus, nec 7. in Inventionem & Judicium, Stoici, Cicero, Ramistæ nec 8. in Partem α quæ agit de Thematis eorumque affectionibus & β quæ agat de Instrumento quibus thema tractatur Herbord cum Burgersdicio. Illa α divisio est naturæ Logicæ maxime apta quæ eam admodum operationes intellectus in tres partes distribuit; ut Thomas & Thomistæ Toletus, Javellus & ex parte Albertus, Apollinarius Offredus, Complutenses, Cajetanus, Sotus, Lalemandet, Keckermannus, Hornejus, Itterus, Bertius, Wegerus, Euflerus.

(*) (*)
 (*)

kont

76

2702

LO
MTE

CO
MTE
VBR

